



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXV. De clerico percussore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

(o)

TITULUS XXV.

De clerico percussore.

CAPUT I.

Ex Concilio a Agath.

SI quis in aliquo ecclesiastico ^b gradu sacratus percussor fuerit, corripiatur à crimine; si non emendaverit, deponatur.

NOTÆ.

Concilij, nec in aliquo Concilio, quod hucusque legerim.

- I. a *Agathens.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* Sed hæc verba non reperiuntur inter canones editos ipsius Concilij, nec in aliquo Concilio, quod hucusque legerim. ^b *Gradu sacratus.*] De gradibus sacris, & à quo tempore subdiaconatus inter eos relatus sit, egi in cap. à multis, de arce, & qualis. 2.

CAPUT II.

Gregorius Andrea Episcopo a Tarentino.

TRIBUNAL iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius dignâ eum modo penitentiâ placare contendit. Habuisse te siquidem ^b concubinam, manifesta veritate comperimus, & te illius criminis participationem habere, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus ejus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in anima tuâ periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo, quo es ordine, celans veritatem, permanere volueris. Unde te iterum adhortamur, ut si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum, dum licet, penitentiâ superare festines, ne cum eo particeps, quod non optamus, in die iudicij deputeris. Si vero hujus reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est, quo es, ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus ^d deputasti, quam licet post octo menses exinde minimè arbitramur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisse respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere, in quibus ab officio tuo suspensum flere te convenit quod fecisti. Nam valde dignum est, ut postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non provocant, salutem correptionis medicina compellat.

NOTÆ.

- I. a *Gregorius.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & apud Burchardum lib. 1. *Decret.*, cap. 195. Carnotensem part. 5. *Decreti*, cap. 310. apud Gratianum in cap. habuisse, 33. dist. & extat textus hic in registro epistolarum D. Gregorii Magni, lib. 2. *indict.* 11. *epist.* 44. Andreas hic primus fuit hujus nominis Episcopus Tarentinus, de qua diocesi Tarentina egi in cap. 12. *de rescript.* Horum excessuum correctionem delegavit Gregorius Joanni Episcopo Gallipolitanensi sequenti epistola, in hæc verba: *Ex gestis, qua ad nos fraternitas tua direxit, inventum est, Andream fratrem, & Coepiscopum nostrum DD. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

strum habuisse sine dubio concubinam. Sed quia tacertum est, seam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est ut eum sollicita adhortatione commoneas, ut si positum in sacro ordine cum ea se novit immixtum, ab eo, in quo est, officio quiescat, & nullatenus administrare presumat. Quod si forte conscius sibi hujus rei, peccatum suum suppressit, administrare presumpserit, anima sue periculum divino iudicio imminere cognoscat. Matriculam verò, quam fecit fustibus castigare, quamvis exinde post octo menses obisse non credimus, quia tamen eam contra proprium sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à Missarum solemnitate suspende, ut vel hæc eum verecundia, qualem se de cætero possit exhibere, instituat. Præterea oblata nobis petitione, qua tenetur

M m

in subditis, clerici prædicti Episcopi multa se mala ab eo sustinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua subtiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo emendare, atq; disponere, ut nulla eis pro hac re huc remeandi de cetero necessitas imponatur.

- b *Concubinam.*] De pœnis Episcopi concubinarij egi in cap. 3. de cohabit. clericis.
 2. c *Mulierem de matriculis.*] In dicta epistola 45. legitur *matriculam*, unde cognosci non potest, an nomen hoc esset proprium ipsius fœminæ, an verò fœmina illa aleretur ex matriculis

Ecclesiæ Tarentinæ, juxta veterem morem, quem illustravi in canone 36. Concilij Illiber. & referunt Vossius de vit. iis sermon. lib. 3. cap. 24. Zorda in advers. cap. 76. num. 7. & forsan quia vidua hæc alebatur ex matriculis ipsius Ecclesiæ, ideo Gregorius appellat eam mulierem de matriculis.
 d *Fustibus deputasti.*] Contra tradita in cap. 1. de calumn.

e *Octo menses.*] Post quod tempus credatur percussum ex vulnere accepto decessisse, exposui in canone 5. Concilij Illiber.

CAPVT III.

Alexand. III. a *Lucensi Episcopo.*

PRæsentium lator in quodam conflictu asserit se fuisse, pro parte tamen illorum, qui violentiam repellebant, in quo lapides ipse projecit, sed aliquem non percussit; quem nos quia per alios illic aliqui dicuntur occisi, & celebratione Missarum præcipimus abstinere. Mandamus itaque vobis, ut si res ita se habuerit, & alia tamen non impederint, decurso hujusmodi temporis spatio, ad sui eum executionem officij admittatis.

NOTÆ.

a *Lucens.*] Ita etiam legitur in prima collectione. sub hoc tit. cap. 3. & post Concil.

Lateran. part. 16. cap. 11. additur, & *Capitulo. De Ecclesiâ Lucensi*, seu *Lucanensi egi in cap. cum causa, de elect.* & textum hunc exposui supra in cap. 2. de homicid.

CAPVT IV.

Cœlestinus III.

CONTinentiâ literarum vestrarum inspectâ, quâ significastis nobis, quod cum P. acolytus præsentium latorum quibusdam hominibus ad resistendum prædonibus arma sumpsisset, in conflictu illo tres fuerunt ab aliis vulnerati ad mortem, ita tamen, quod illa homicidia, neque facta ejus, neque consilio perpetrata fuerunt. Quia verò super hoc nostrum requisistis consilium, vobis taliter respondemus, quod cum prædictum acolytum ad frugem melioris vitæ transisse dicatis, & in monachalireligione ferè per annos VIII. laudabiliter hucusque vixisse, meritis ejus aliis non repugnantibus, ad subdiaconatus ordinem valeat promoveri, & merito altaris ministerium exercere.

NOTÆ.

1. a *Cœlestinus III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. final. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

b *Acolytus.*] De quo gradu egi in cap. 2. de officio. Archid.

2. c *Resistendum.*] Et ita arma non sumpsit pro defensione necessaria: quare desideratur ut ad ordines sacros accedere possit, quod ad meliorem vitæ frugem transisset, & ut per octo annos laudabiliter fuerit conversatus.

COMMENTARIUM.

3. *U*m Ecclesia valde abhorreat sanguinis effusionem, & in suis ministris omnem masculinam optet, ideo non solum eos militia nomen dare prohibuit, ut probavi in c. *peritio, de homicid.* verum & arma deferre, ut probavi in c. *clerici arma, de vita & honest. cleric.* & sententiam sanguinis proferte, & sententiam, ne clerici vel monachi

ac etiam quæcumque percussorem ab eis fieri omnino prohibuit, can. 64. *Apost.* ibi: *Si quis clericum in pugna pulsatum aliquem uno ictu occiderit, deponatur propter suam proclivitatem, & remittatur.* Et c. *de his clericis, 50. dist.* Concil. Triburien. c. *an. t. cap. cum beatus, 45. dist.* plura adducunt *Elpenceus lib. 2. digress. c. 3.* *Crespetius in summa, verbo Clericum non sit percussor.* Et percussor non solum dicitur, qui sua manu percussit, verum & qui verberandi, vel occidendi facultatem dedit, ne fraus fiat canonici Apostolorum, ut statuitur in canone 9. Synodi Constantin. ibi: *Qui percussit, vel curavit ut cui manus percuteretur.* Vt etiam ait *Vlpianus in l. non solum, §. 1. ff. de injuriis.* Intuitu tamen disciplinæ licet presbytero leviter percutere discipulum, ut probavi in cap. *presbyterum, de homicidio*: & judici ecclesiastico penam fustium imponere, dum tamen per eam ad sanguinis effusionem non perveniat, ut probavi in cap. 1. *de calumn.* Ex quo commentario, & præcipue ex adductis in cap. *peritio, de homicidio*, præsens commentarium petendum est.

TITULUS